

quae tibi carissima fuisset, consiliis tuis gubernatum: se a te postea defensum in periculo capitis, adiutum in petitione praeturae: duos se habere semper amicissimos sperasse: te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret, si tibi ita penitus inhaesisset ista suspicio, nullo ut evelli modo posset: si denique Italia a delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade nunquam esset conquietura; nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit.

XXVI. Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infedilitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, cum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, (qui quam crebro accidat, experti debemus scire,) et amicissimi benevolentiam, et gravissimi hominis fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres. Quanquam quis hoc credat, Cn. Pompejum juris publici, moris majorum, rei denique publicae peritissimum, cum senatus ei commiserit, ut videret, *ne quid respublica detrimenti caperet*; quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis; hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium expectaturum fuisse in ejus consiliis vindicandis, qui vel iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est a Pompejo, satis falso ista conferri in Milonem: qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolui a vobis oporteret: ut omnes confitentur, liceret. Quod vero in illo loco, atque in illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet, satis declarat, se non terrorem inferre vobis (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse et more majorum, et suo jure posset?) sed praesidio